

E P I L O G U S.

(quamvis inter se in quām plurimis adversis pugnant frontibus) se docere obfirmatō credat animō; Divinæ majestati atque gloriæ aliquid detractum esse existimant, si quoddam ab ipsis jam statuminatum dogma convellatur, ac aliud in ejus locum substitui debere contendatur. Unde etiam sui officii suique zeli esse putat unusquisque obstare impedireque, nequid sua inde religio decrementi aut detrimenti capiat; adeoque post iram odium concipiunt, eoque prosequuntur, quicunque ipsorum opinionibus non subscribit, & aliquid, quod vel tantillum ipsorum refragatur placitis, Theologico examinandum orbi proponere non veretur. Atque hujus suæ iræ suique odii virus ut evomant, illum vulgo, apud quem plurimum valet eorum auctoritas, invisum reddunt, nomenque ejus indignis modis traducendō, ac calumniis convitiisque onerandō, tanquam hæreticorum pessimum, & abominabiles perniciosissimasque foventem opiniones, cane pejus & angue fugiendum monent atque jubent; Quod si consequantur, consequitur etiam ut ille, veluti atrō carbone notatus, ab omnibus vitetur, deseratur, & malè habeatur, ac sic paulatim suâ negotiatione, si mercaturam, aut quæstu, si opificium exerceat, privetur, atque tandem re familiari commodisque, quibus vitam sustentat suam, exuatur, adeò ut ad summam pauperiem infelicitatemque redactus, miserrimè reliquam ætatem transigere cogatur. Utque nihil illius infortunio desit, omnisque commiseratio intercludatur, hæc ab ipsis illi procurata mala postmodùm poenam esse justissimam clamitant, quam Altissimo suæ impietatis execrabilisque opinionis luit, ac clara indicia, quæ ipsum hæresios liquidò convincunt atque damnant. Simili autem tempestate & nostra posset abripi navicula, similibusque, cùm inter homines degamus, eorumque ope atque operâ sæpiissimè indigeamus, illisa scopolis, fluctibus obrui, ac in profundō mergi, si illam tam impetuoso mari, tantisque procellis obnoxio, ac naufragium certissimum minitanti, committeremus.

Atque hæc duo incommoda tanti mihi visa fuere ponderis, ut jam aliquot ab annis hujus tractatus distulerim impressionem, & sæpius apud animum meum constituerim, nunquam illum typis describi permisurum, aut in publicum emissurum: præsertim cùm præter hæc, experientiâ doctus etiam animadverterem, ac pro compertō haberem, omnium in Christianâ religione Sectarum tām Antistites atque Clericos, quām ipsam plebem ac Laycos adeò esse suarum, tum ab infantiâ, tum disciplinâ imbabitam opionum tenaces, ut ferè citius manu cælum tetigeris, quām illarum vel unam, quamvis nunquam seriò examinatam, multò minus intellectam, ex ipsorum animis evellas: atque adeò me non tantum oleum atque operam in hōc opusculō conscribendō perdidisse, sed etiam in edendō perditurum esse.

Attamen